This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

P A
3947
Z5
H45
1878
MAIN

$B 13 742

C 00253

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

QVAERITVR QVID ET QVANTVM CASSIVS DIO IN HISTORIA CONSCRIBENDA INDE A L. XL. VSQVE AD L. XLVII. E LIVIO DESVMPSERIT.

DISSERTATIO HISTORICA

QVAM

SVMMORVM IN PHILOSOPHIA HONORVM

AVCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

IN

VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA

RITE OBTINENDORVM CAVSA

VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS

DIE VIII MENSIS AVGVSTI A. MDCCCLXXVIII HORA XII

PVBLICE DEFENDET

SCRIPTOR

GVILELMVS HEIMBACH

RHENANVS.

ADVERSARIORVM PARTES SVSCIPIENT:

IVLIVS ASBACH
IOSEPHVS SCHMITZ } SEM. HIST. SODALES.
IACOBVS TEVSCH

BONNAE

TYPIS CAROLI GEORGI, VNIV. TYPOGR.

1878.

Digitized by Google

UNIV. OF
CALIFORNIA

Digitized by Google

PA3947
Z5H45
1878
MAIN

ARNOLDO SCHAEFER

S.

270040

Digitized by Google

Digitized by Google

UNIV. OF CALIFORNIA

De Cassio Dione, gravissimo [1]) rerum Romanarum scriptore, dicturus illud ante omnia profiteri cogor, mirum quantum de fontibus eius quaerere adhuc esse neglectum. Priores enim eius operis partes duo tantum viri docti, si quae Reimarus [2]) obiter protulit, praeterire licet, accuratius adhuc in disceptationem vocaverunt, Rogerius Wilmansius diss. Berol. 1835 et Max. Grasshofius diss. Bonn. 1867. Quo libello Wilmansius libros inde a l. XXXVI. usque ad l. LII., qui integri ad nostram aetatem venerunt, examinavit nec dubitari potest, quin omnino de Dionis fontibus recte iudicaverit. Haec autem quaestio cum ita sit instituta, ut neque rerum neque temporum ratione habita singuli, quos Dio ante oculos habuerit, scriptores nominentur et probandi caussa modo hinc modo illinc argumenta petantur, fit, ut nihil nisi compluribus auctoribus usum esse Dionem eluceat, quantum autem e singulis hauserit, in incerto relinquatur. Quare iam Grasshofius singula singulorum librorum capita inde a l. XXXVI. usque ad l. XL. perquirere instituit. Quae tractandi ratio magnis premitur difficultatibus, quod Dio ipse ab indicandis suis auctoribus fere ubique abstinet atque certi aliquid ita tantum statui potest, ut narratio eius cum

1) Egger examen crit. des historiens anciens de la vie et du règne d'Auguste. Paris 1844. p. 284. 311.

Reimarus praef. editionis I. p. 8.

2) Reimarus diss. de vita ac scriptis Dionis II. p. 1530 sq.

Digitized by Google

ceteris scriptoribus eadem tractantibus comparetur. Hunc quaerendi modum sequens si, quo capite substitit Grasshofius, pergam et gravissimam illius operis partem inde a l. XL. usque ad l. XLVII., quibus bellum atrocissimum inter Caesarem et Pompeium ortum resque ad triumviratum ab Octaviano, Antonio, Lepido initum usque et ultra gestae continentur, in disceptationem voco, operam me perditurum esse non puto. Qua in re eo magis mihi indulgeatur necesse est, quo saepius a ceteris scriptoribus in his rebus uberrime a Dione narratis destituti unde hi ipsi sua desumpserint, parum certe explorare possumus; accedit, quod Dio ipse in prooemio aliisque locis cuncta se legisse, non tamen omnia, sed tantum delecta in commentarios suos rettulisse fatetur, qua ex re plurimi nascuntur errores, qui nostram quaestionem difficilem reddunt.

Antequam rem ipsam aggrediar, paucis exponam, quid de fontibus, e quibus Dio in libris, quos tractandos suscepi, hausit, Wilmansius[1]) iudicaverit. Cum in rebus ante annum u. 690. gestis enarrandis Livium Dionis fontem fuisse neget, ea quae Catilinae coniurationem insecuntur tempora ad Caesaris caedem usque et ultra, certe secundum Livium, ut Iulius Obsequens doceat, a Dione narrata esse eamque ob caussam libris inde a. l. XXXVII. usque ad l. XLIII summam adiudicandam esse auctoritatem dicit; exeuntis autem liberae rei publicae tempora describenti alios fontes praesto fuisse ex eo colligit, quod contrarias inter se partes Dio et Livius sequuntur. Nimia autem fiducia Livio Dionem sua debere Wilmansius teste fere uno adhibito Iulio Obsequente coniecisse mihi videtur.

Cui iudicio Wilmansi Grasshofius[2]) de postrema l. XL. parte quaerens adsentitur. Sed quod de initio belli civilis Caesariani a Dione narrato iudicat: „quem in his rebus enarrandis Dio sit secutus, quaerere non magni esse momenti,

1) Wilmansius p. 17. 19.

2) Grasshofius p. 32.

Digitized by Google

cum Dionis narratio iis in rebus tam falsa ac confusa sit, ut ad historiam illius temporis cognoscendam plane neglegi possit", non probo.

Ipse vero, antequam quod de hac re iudico, exponere instituam, de fontibus, quibus Dio uti potuit, pauca dicam. Historiam belli illius civilis conscripserant, quos integros inspicere potuit Dio, Titus Livius et Asinius Pollio, quorum hic a Caesaris, ille a Pompei partibus stabat. At valde dolendum est et Asini Pollionis et Livi libros, qui in his rebus enarrandis versabantur, aetatem non tulisse, ita ut, si quid ex iis statuere volumus, ipsos ex ceteris scriptoribus, quos iis usos esse constat, restituamus necesse sit. Pauca tantum e Livi annalibus servata sunt in epitomis, quae quamvis sint exiles [1]), tamen, quo ordine res a Livio traditae sint, indicant. Accedunt alii scriptores, quos e Livio plurima hausisse constat; quorum praecipuos tantum enumerabo: Velleium Paterculum [2]), Valerium Maximum [3]), Lucanum, Florum [4]), Eutropium [5]), Aurelium Victorem [6]), Iulium Obsequentem, Orosium [7]); e quibus si quae e Livio desumpserunt, colligimus, integram fere Livi narrationem restituere possumus. Asini Pollionis [8]) libris usi sunt Plutarchus [9]) et

1) Egger examen crit. p. 101.

2) Ulr. Koehler qua ratione T. Livi annalibus usi sint historici latini atque graeci. Gottingae 1860 p. 10.

3) Koehler p. 11. Kempf proleg. in Valerium Maximum praef. editionis p. 15.

Zsesch de Livio et Cicerone fontibus Valeri Maximi Berol. 1865.

4) Koehler p. 23.

5) Koehler p. 38.

6) Koehler p. 41.

7) Koehler 42 sq. Mörner de Orosi vita ac scriptis. Berol. 1844. p. 134.

8) Thorbecke de Asini Pollionis vita et studiis doctrinae. Lugd. Bat. 1820. p. 30.

9) Heeren de font. et auctor. vit. Plutarchi. Gottingae 1820. p. 167. 182.

Hermann Peter die Quellen Plutarch's. Halle 1865. p. 118. 124.

Digitized by Google

Appianus[1]), uterque praeterea Livium non neglegens[2]). Quodsi quae Dio tradidit, cum his, qui Asinium Pollionem praecipuum ducem secuti sunt, et cum illis, qui Livium adhibuerunt, comparamus, quid Dio e Livio hauserit, facile est intellectu. His exploratis maior huius quaestionis vis nascitur ex eo, quod, postquam Livium Dioni pro primario fonte fuisse docuimus, Livi narrationem e Dione complere possumus. Alia argumenta quaestioni nostrae praebent Caesaris commentarii iique, qui sub nomine eius feruntur, Cicero, Suetonius[3]); ne dicam eos, quorum nihil pervenit ad nos. Cum nullius omnino auctoris nomen apud Dionem occurrat, rem ita persequar, ut, quae inter singulos illos et Dionem intercedat ratio, comparandis singulis examinem.

Ne in medias res lectorem rapiam, a dissensione inter Caesarem et Pompeium orta[4]), quae erat caussa belli civilis, ordiar. Ac primum quidem quae de hac re in epitoma Livi[5]), quem de rebus antecedentibus adhibuisse Dionem docuit Grasshofius[6]), servata sunt, intueamur. Neque illa epitome brevior est, quam qua certi quid statuere possimus. Ab utroque enim eodem rerum ordine servato traditur: legem esse latam, ut Caesaris absentis in petitione consulatus ratio haberetur[7]), Catonem consulatum petentem repulsam tulisse[8]), Servium Sulpicium et M. Marcellum consules esse creatos[9]), hunc ut Caesari ante tempus succederetur, in

---

1) Wijnne de fide et auctoritate Appiani. Groningae 1855. p. 30.

2) Wijnne l. c. p. 35. Peter l. c.

3) Schweiger de font. atque auctor. vit. Suet. Gottingae 1833.

4) Dio 40, 56. Mommsen, Rechtsfrage zwischen Caesar und Senat. Breslau 1857. Hofmann de origine belli civ. Caesariani. Berol. 1857.

5) Liv. 107.

6) Grasshofius p. 31.

7) Dio 40, 56. Liv. p. 108. Flor. II, 13, 15.

8) Dio l. c. Liv. l. c.

9) Dio 40, 58. Liv. l. c.

Digitized by Google

senatu egisse[1]), Curionem primum inimicitia in Caesarem simulata deinde aperte partes eius secutum esse[2]), Pompeium Caesari se favere prae se tulisse[3]). Haec quidem cum Livio congrua; sed ut certius concludere liceat, Appianum et Plutarchum, quos Asinio Pollioni plurimum auctoritatis tribuisse supra dictum est, de hoc discidio inspiciamus. Paucis[4]), quae e Livio desumere potuerunt, praetermissis tanta inter illos et Dionem intercedit discrepantia, ut ex diversis fontibus eos hausisse verisimile sit. Ut pauca tantum afferam: alia apud Dionem desiderantur, quae illi tradiderunt: Caesarem iratum dixisse gladio se imperium suum prorogaturum esse[5]), Marcellum superbum in Caesarem se gerentem rettulisse, ut Novocomo coloniae civitas adimeretur[6]), L. Paulum MD talentis a Caesare esse conciliatum[7]); alia apud illos, quae tradidit Dio: Scipionem ea, quae a Clodio de censoribus essent statuta, abrogasse, Sallustium e senatu esse eiectum[8]), Curionem intercalationem poposcisse[9]). Accedit, quod Appianus[10]) C. Marcellum cum L. Paulo conlega ad Pompeium se contulisse narrat, cum Dio[11]) consules designatos a Marcello ad Pompeium esse adductos tradat. Hinc cum quin Asinium Pollionem Dio secutus non sit, dubium esse nequeat, eum auctorem, ex quo sua desumpsit Dio, Livium fuisse et ex his et ex illis, quae supra e Livio et Dione collata sunt, verisimile est. Quaerat forte quis, nonne Caesaris commentariis Dio usus sit; quod ne-

1) Dio 40, 59. Liv. 108. Oros. VI, 15.
2) Dio 40, 60. 61. Liv. 109. Luc. I, 269 schol. ed. Weber.
3) Dio 40, 56. 59. Flor. II, 13, 16.
4) App. II, 25. Liv. 107. App. II, 26. Liv. 108.
5) App. II, 25. Plut. Pomp. 58. Caes. 29.
6) App. II, 26. Plut. Caes. 29. Suet. Caes. 28.
7) App. II, 26. Plut. Pomp. 58.
8) Dio 40, 57. Dio 40, 63.
9) Dio 40, 62. Cic. ad fam. VIII, 6.
10) App. II, 31.
11) Dio 40, 66.

Digitized by Google

gatum video a Grasshofio, cui adsentior. Quamquam enim multis de rebus prorsus inter se consentiunt, sunt tamen, quae discrepent, sunt, quae ab altero tradantur, apud alterum desiderentur. Ne longus sim, unum tantum afferam: Clodium a Caesare pecunia esse conciliatum in commentariis illis praetermittitur, ita ut, cum ex alio fonte Dionem [1]) hoc hausisse necesse sit, quis hic fuerit auctor, quaerere persequamur.

De C. Claudi Marcelli affinitate [2]), de qua omnes fere scriptores errasse miror, num Dio duos auctores contulerit, ex eius verbis: „*καὶ διὰ τοῦτο Γαΐου τε Μάρκελλον, ἀνεψιὸν ἢ καὶ ἀδελφὸν — λέγεται γὰρ ἑκάτερον —* (sc. *Μάρκου Μαρκέλλου*) *ὑπατεῦσαι ἐποίησεν*“ dicere non audeo; recte quidem tradidit fratem eum fuisse M. Marcelli, falsum autem, quod apud alios [3]) quoque invenitur, probasse videtur addita particula *καί*.

Transeamus ad l. XLI. tractandum, cuius parte priore contentiones a Curione Romam reverso motae usque ad urbem a Caesaris legionibus occupatam continentur.

Plures hoc loco se auctores inspexisse ipse Dio indicat [4]). Refert enim feriarum latinarum ann. 705 caussa [5]) nullum praefectum urbi esse constitutum, sed, quae eius fuerint officii, praetores administrasse; quod tamen insequenti anno factum esse alios memoriae prodidisse; sed qui hoc tradiderint, et ipse reticet et ceteri scriptores hanc rem plane praetereunt. Livium autem fuisse prioris sententiae auctorem ex eo concludo, quod Dio altera sententia allata ad priorem tamquam fontem reversus [6]) Perpennae obitum ostenti loco habitum esse affert, cuius ab aliis quoque

---

1) Dio 40, 60.
2) Dio 40, 59. Drumannus II, 398.
3) Suet. Caes. 29. App. II, 26.
4) Dio 41, 14.
5) Mommsen, röm. Staatsrecht I, p. 642, 3.
6) Dio 41, 14.

Digitized by Google

scriptoribus, quos Livium saepissime secutos esse constat, mentio fit [1]). Asinium autem Pollionem a Dione de his contentionibus a Curione motis in partes vocatum non esse facile est demonstratu. Primum enim refert Appianus [2]) Ravennae Curionem Caesari obviam venisse, quem Arimini esse receptum et Livius et Dio [3]) tradiderunt; deinde Ariminum a Caesare vi esse captum [4]), inde legatos de pace ad Pompeium esse missos [5]). Accedunt narratiunculae illae de Caesare Rubiconem flumen traiciente [6]) allatae, quas Asinium Pollionem finxisse et operi suo intexuisse Drumannus [7]) censet. Quarum cum neque a Livio aut Dione neque a Caesare in commentario de bello civili conscripto ulla fiat mentio, Asinium Pollionem a Dione hic adhibitum non esse verisimile est.

Innumeri contra adsunt loci alium auctorem secutum esse Dionem testantes, de quibus mire cum Dione consentiunt Caesar et Plutarchus, qui praeter Asinium Pollionem Livium quoque inspexit. Huc refero: Labienum a Caesare ad Pompeium descivisse [8]), L. Caesarem et L. Roscium legatos ad Caesarem esse missos [9]), eosdem legatos esse remissos [10]), Caesare auctore Romae esse decretum, ut statim legati ad Pompeium mitterentur [11]), Pisonem, cum, cur hi retinerentur, interrogaret, Caesaris indignationem excitasse [12]), Brundisi

---

1) Val. Max. VIII, 13, 4. Plin. VII, 48.

2) App. II, 32. Caes. b. c. I, 6.

3) Liv. per. 109. Dio 41, 3. Oros. VI, 15. Luc. I, 269. Suet. Caes. 33.

4) App. II, 35. Plut. Caes. 32.

5) App. II, 32. Plut. Caes. 31.

6) App. II, 34. Plut. Pomp. 60. Caes. 32.

7) Drumannus III, 420.

8) Dio 41, 4. Plut. Caes. 34.

9) Dio 41, 5. Caes. b. c. I, 9.

10) ibid.

11) Dio 41, 15. Plut. Caes. 35.

12) Dio 41, 16. Plut. Caes. 37.

Digitized by Google

duas naves Pompeianas esse captas[1]). At haec e Caesare ipso desumpta esse dicat quis; is vero respiciat velim, de quibus inter se dissentiunt. Narrat enim Caesar Ravennae Curionem a Caesare esse receptum[2]), scripta mandata — non legatos — a Pompeio Caesari esse remissa[3]), denique aerarium a Caesare non esse effractum, sed a senatoribus perturbatis apertum esse relictum[4]). — Iamvero Livio plurimum auctoritatis tribuisse Dionem liquet. Sed ne exempla e Livio ipso petita desint, afferam pauca, de quibus consentiunt: M. Antonium et Q. Cassium senatusconsulto de Caesare facto intercessisse[5]), urbis custodiam consulibus esse datam[6]), aerarium a Caesare esse effractum[7]); accedit, quod iisdem fere verbis ac sententiis considerant Pompei senatorumque turpem fugam[8]), civium perturbationem et urbis solitudinem[9]), Romam certaminis praemium propositam[10]), denique quae afferre liceat verba Orosi ac Dionis paene congrua:

Oros. VI, 15: „quinque cohortes, quas tunc solas habebat, cum quibus, ut ait Livius, orbem terrarum adortus est, quid facto opus esset, edocuit."

Dio 41, 4: „*γενομένου δὲ τούτου προσπαρώξυνεν αὐτοὺς, ἐπειπὼν, ὅσα ὁ καιρὸς ἀπήτει.*"

Dubitanti adhuc novo sint argumento prodigia a Dione tradita[11]), quae e Livio esse deprompta Obsequens et Lucanus docent[12]).

1) Dio 41, 12. Plut. Pomp. 62. Caes. b. c. I, 29.
2) Caes. b. c. I, 6.
3) Caes. b. c. I, 10.
4) Caes. b. c. I, 14.
5) Dio 41, 2. Liv. 109. Oros. VI, 15.
6) Dio 41, 3. Liv. 109. Caes. b. c. I, 5.
7) Dio 41, 17. Oros. VI, 15. Flor. II, 13, 21. Luc. III, 117.
8) Dio 41, 13. Flor. II, 13. 20. Luc. I, 487.
9) Dio 41, 8, 9. Luc. II, 17.
10) Dio 41, 10. Luc. II, 655.
11) Dio l. c.
12) Obseq. 63, 65. Luc. I, 530. 540. 558. 564.

Digitized by Google

At obiciat quis in prodigiis enumerandis Dionem aut Livio usum non esse aut alterum praeterea auctorem consultasse, cum multa, quae tradidit Dio, apud Iulium Obsequentem frustra quaerantur. Cui oppono, quod de Obsequente recte iudicasse mihi videtur Teuffel[1]) „ad Livium ipsum prodigiorum librum non esse referendum, sed ad epitomen eandem aut similem certe, qua Cassiodorius quoque usus sit".

In hac operis parte Livi potissimum auctoritatem secutum esse Dionem patet; alterum, quem inspexerit, auctorem ignorare me fateor; non nunquam etiam falsa tradidit. Senatus enim consultum de Caesaris ac Pompei imperio factum confundit cum priore[2]) neque magis accurate narrat tribunos plebis Lentulo auctore urbem reliquisse[3]), quos vi esse expulsos constat[4]); curam urbis et Italiae Antonio esse datam[5]), cum Lepidum res urbanas, Antonium Italiam administrandam suscepisse Appianus testetur[6]).

Sequntur res a Caesare ad Massiliam et in Hispania gestae[7]), praelusio tamquam belli atrocissimi in Epiro conflati. In his rebus tractandis plane fere ab Appiano Plutarchoque destitutis nobis succurrit maior solito Livianae epitomae ubertas, quae additis iis, quae Lucanus, Florus, Orosius tradiderunt, Dionis narrationem fere adaequat; neque quae in Caesaris commentario servata sunt, parvi sunt momenti. Mirum quantum hic quoque ad verbum paene Caesar et Dio inter se consentiunt, quod v. c. de responso a Massiliensibus Caesari dato „non esse suum utra

1) Teuffel, röm. Literaturgesch. p. 860, 9.

2) Dio 41, 2.

3) Dio 41, 3.

4) Liv. 109. Suet. Caes. 31. Luc. I, 278. De filiis proscriptorum tum a Caesare restitutis (Dio 41, 18) cf. Drumannus III, 446.

5) Dio 41, 18.

6) App. II, 41.

7) Dio 41, 19.

Digitized by Google

caussa sit iustior, iudicare“ [1]), de condicione, qua victi Pompeiani se dederunt [2]), valet. Hac autem congruentia, quae inter eos intercedit, non tam Caesare ipso Dionem usum esse quam fonte ex eo derivato aut simili statuendum esse puto. Iam videamus, quae de his rebus e Livio Dio depromere potuerit. Ne nimis longa rerum enumerandarum sit series, gravissima tantum exempla afferam: Sardiniam ac Siciliam a Caesaris legatis esse occupatas [3]), Massiliensium responsum supra allatum [4]), Massiliam urbem oppugnandam esse relictam Trebonio et Decimo Bruto [5]), contra Pompei legatos prope Ilerdam esse pugnatum [6]), Caesarem propter Sicoris inundationes et annonae inopiam rem male gessisse [7]), denique hostes intra colles inclusos fame ad deditionem esse coactos [8]), Varronem in ulteriore Hispania cum legionibus esse captum, Gaditanis civitatem esse datam [9]), Massilia capta civibus praeter vitam ac libertatem nihil esse relictum [10]); libertatem iis non esse ademptam, quod Phocaeam quoque Pompeius liberam reliquisset, praeter Dionem Lucanus quoque testatur [11]). Ecce quam manifesta sit inter Livium et Dionem consensio, ex qua in his rebus enarrandis Livio uno auctore usum esse Dionem concludo.

At opponat quis, quo labefactet nostram sententiam,

---

1) Caes. b. c. I, 35. Dio 41, 19.

2) Caes. b. c. I, 86. Dio 41, 22.

3) Dio 41, 18. Flor. II, 13, 23. Oros. VI, 15.

4) Dio 41, 19. Caes. b. c. I, 35. Luc. III, 303 c. schol. ed. Weber.

5) Dio 41, 19. Liv. 109. Flor. II, 13. Oros. VI, 15. Luc. III, 454 c. schol. ed. Web. et Bern.

6) Dio 41, 20. Flor. l. c. Oros. l. c. Luc. IV, 4. c. schol. ed. Web.

7) Dio 41, 20. Luc. IV, 14—21 c. schol. vers. 19. ed. Web.

8) Dio 41, 22. Luc. IV, 262, 292.

9) Dio 41, 23. Liv. 110. Oros. VI, 15.

10) Dio 41, 25. Liv. 110. Oros. VI, 15.

11) Dio 41, 25. Luc. V, 53 c. schol. ed. Web.

Digitized by Google

discrepare inter se Florum, cui Livius pro primario fonte fuit, et Livium de numero legionum, quas Pompeiani in Hispania habuerunt, cum Florus V, Livius VII[1]) — totidem affert Lucani scholiastes[2]) — commemoret. Qua de re ita iudico: nimis neglegens fuit periocharum scriptor[3]), qui septem legiones, quot fuisse trium legatorum Pompei Caesar ipse[4]) docet, in Afranium et Petreium contulit, postea vero hoc oblitus Varronis exercitum seorsum commemoravit.

Caesar in Italiam reversus quominus, ut Pompeium persequeretur, statim in Graeciam traiceret, prohibitus est tumultu Placentiae moto a militibus quibusdam, ut ait Dio more suo, quo mire omnes fere certos numeros evitat verbis usus „τινές", „πολλοί" aliisque; quam nonam fuisse legionem Lucanus, Suetonius, Appianus[5]) testantur. Illam artis declamatoriae[6]) ostentandae occasionem non praetermittit Dio, quin Caesarem ad milites tumultuantes loquentem inducat[7]). Quamvis multa ex ingenio suo Dionem finxisse pateat, tamen ex auctore aliquo petiisse eum summam orationis verisimile est. Cum brevissima oratione ab Appiano tradita[8]), quae longe aliis nititur argumentis, non habeo, quid hanc Dionis orationem conferam; ad Livium hanc redire, quamquam in periocha illius seditionis nulla fit mentio, ex hoc conicio. Exstat apud Dionem[9]) similis Caesaris oratio ad milites tumultuantes in Gallia habita, cuius argumentum e Livio[10]) desumptum esse patet. Quae orationes cum valde inter se consentiant, huius quoque

1) Flor. II, 13, 29. Liv. 110.
2) Luc. IV, 4. c. schol. ed. Web.
3) Egger p. 101.
4) Caes. b. c. I, 38.
5) Luc. V, 244. Suet. Caes. 69. App. II, 47.
6) Wilmansius p. 32. Egger p. 289. 291.
7) Dio 41, 27.
8) App. II, 47.
9) Dio 38, 35.
10) Liv. p. 104.

Digitized by Google

orationis argumentum aut inde repetitum[7] aut e Livio haustum esse puto. Accedit, quod etiam Lucanus[1]), quem Livium adhibuisse constat, similem Caesari tribuit orationem.

Caesaris commentarii ordinem sequentes cetera quoque, quae tradidit Dio, examinemus. Ambo enim referunt Caesarem in itinere a populo Lepido auctore dictatorem esse dictum[2]), quod affirmat Lucanus[3]) verbis: „indulgens populo precanti", aeri alieno solvendo Caesarem subvenisse[4]); legem de modo credendi possidendique a Caesare latam praeter Dionem Tacitus unus commemorat[5]). Quorum quamquam nihil apud Livium exstat, tamen, quod Caesar eorum mentionem facit, quem ipsum Dio secutus non est, ex eodem ea ex quo superiora fluxisse fonte conicio. Sed obiciat quis multa hic quoque prodigia a Dione[6]) afferri, quae neque Obsequens neque alius quisquam exhibeat. De his autem idem valere, quod supra de Obsequentis prodigiorum libro attuli[7]), puto.

Antequam ad bellum ipsum tractandum transeamus, res a legatis Caesaris in Africa et Illyrico male gestae examinandae sunt[8]). Quae de his rebus Appianus et Plutarchus memoriae prodiderunt, cum Dione conferre operae pretium non est; quoniam eorum brevior est narratio, quam qua nostra quaestio iuvetur. Appianum autem sua ex Asinio Pollione repetivisse liquet non solum ex eo, quod bis nominatim eum, utqui rebus ipsis interfuerit, tamquam testem adhibet[9]), sed praecipue, quod eum solum pugnae

---

1) Luc. V, 316.
2) Dio 41, 36. Caes. b. c. II, 21.
3) Luc. V, 382.
4) Dio 41, 37. Caes. b. c. III, 1.
5) Dio 41, 37. Tacit. annal. VI, 16.
6) Dio 41, 39.
7) p. 7.
8) Dio 41, 40—43.
9) App. II, 45, 46.

Digitized by Google

superstitem Uticam venisse narrat[1]). Ipso rerum ordine, quo res a Dione traditae sunt, ad Livium adducimur; eadem enim rerum series ab utroque observatur. Neque rursus tam exilis est Liviana epitome, ut eadem narrasse utrumque perspicere nequeamus. Florum[2]) e Livio hoc loco sua desumpsisse, quod paucis hic attingere liceat, e voce „Opiterginis" elucet, cuius gentis praeter Livium et Lucanum[3]) mentionem facit nemo; idem apparet ex Vultei et Basilli[4]) nomine, quos et Lucanus et Orosius exhibent[5]). Quae quidem nomina apud Dionem desiderantur; alia tamen succedunt argumenta gravissima, quibus sententia nostra probatur: Dolabellam Caesaris partes sequentem a M. Octavio et L. Scribonio Libone esse fugatum, C. Antonium ab hostibus inclusum fame esse coactum[6]), — Florus[7]) legatorum nomina in unum confudit „Octavium Libonem", quamquam duas fuisse personas aliunde notum est[8]) —, quosdam[9]) (sc. Opiterginos) circumventos inter se pugnasse, Curionem victoria parta tristem vitae exitum expertum esse per Jubam ei infestum[10]), Jubam in cives Romanos crudelissime saevisse[11]). Quibus perpensis in his rebus describendis Dionem Livio uni sua debere concludam.

Paucis perstringit Dio[12]) magistratus duplices, quos anno insequenti populus Romanus habuit; Thessalonicae eosdem magistratus mansisse, quamquam comitia ibi esse

1) App. II, 45.

2) Flor. II, 13, 33.

3) Liv. 110. Luc. IV, 462.

4) Flor. l. c.

5) Oros. VI, 15. Luc. IV, 415 ed. Web.

6) Dio 41, 40. Liv. 110. Flor. II, 13. Oros. VI, 16. Luc. IV, 408 c. schol. v. 415 ed. Web.

7) Flor. II, 13, 34.

8) vide 6).

9) Dio 41, 40. Flor. l. c. Luc. IV, 462 c. schol.

10) Dio l. c. Caes. b. c. II, 25. Luc. IV, 689 c. schol. ed. Web.

11) Dio l. c. Luc. IV, 717 c. schol. Bern. v. 719.

12) Dio 41, 43.

Digitized by Google

habita a quibusdam traditum sit. Poetice hanc Lentuli actionem de summa imperii Pompeio tradenda habitam Lucanus[1]) ornavit; alios consules esse creatos legitur in scholiis in Lucanum conscriptis[2]), quod pugnat cum iis, quos Dio probat, convenit cum iis, quos Dio refutat, auctoribus. Quis autem fuerit, quem uterque sit secutus, ignorare me fateor.

Jam indagemus, unde, quae de bello ipso in Graecia gesto tradidit[3]), Dio desumpserit. Tota haec narratio poetae vel philosophi magis quam rerum scriptoris est; nimium quantum ornandi ac secum reputandi indoli indulsit, ita ut de rebus ipsis nimis pauca comperiamus. Neque ab utra stet parte, satis clare Dio docet, modo Pompei[4]) modo Caesaris[5]) laudes proferens. Initium facere lubet ab iis, quae de Dyrrhachio traduntur, qua de urbe Dio et Appianus[6]) uterque duas affert sententias, diversam autem sequitur. Non unam esse urbem Epidamnum et Dyrrhachium affirmat Appianus[7]), sed duas, refutatque eorum sententiam, qui unam eandemque urbem esse putent, quod a plurimis[8]) creditum Dio quoque probat. Huius sententiae qui fuerit, Thucydidem vocat Appianus[9]), alteram falsam qui probaverint et ipse Appianus et Dio reticent.

Sed misso hoc pergamus in Dione conferendo cum Appiano, uberrimo huius pugnae scriptore, qui e compluribus Latinis scriptoribus, quos de proelio Pharsalico a se adhibitos esse profitetur, unum Asinium Pollionem praecipuum tamquam auctorem nominatim laudavit[10]). In illis

1) Luc. V, 46.

2) Luc. schol. v. V, 47 ed. Web.

3) Dio 41, 44.

4) Dio 41, 52.

5) Dio 41, 63.

6) Dio 41, 49. App. II, 38.

7) App. l. c.

8) Scholiastes Thucyd. ad l. I, 24. Mela 2, 3. Dio 41, 52. Drumannus III, 476.

9) App. II, 39.

10) App. II, 82. Plut. Caes. 46.

Digitized by Google

autem eundem, quem Dio est secutus, scriptorem fuisse verisimile est[1]). Quare mirum non est, si plurima inter eos et Plutarchum, qui ex eodem, ex quo Appianus fonte hausit[2]), conveniunt. Sed non desunt, in quibus inter se dissentiant: DC naves Pompeio fuisse narrat Appianus[3]), cum Dio[4]) D tantum fuisse afferat; victoria ad Dyrrhachium parta supra modum gloriatum esse Pompeium[5]), regem regum atque Agamemnona se vocari gavisum esse[6]), cum Dio moderationem eius laudet[7]). Quibus si addis, quae Appianus et Plutarchus referunt, quo cibo Caesariani in castris prope Dyrrhachium positis vitam sustentaverint[8]), de Pompei voce superba „cum bestiis sibi esse pugnandum“[9]), de Caesarianorum ebrietate Gomphis captis[10]), quae Caesaris famae damnosa frustra quaesiveris apud Dionem, a Pollione sua mutuatum non esse Dionem elucet. Neque tam accurate res a Dione narrantur, ut auctorem, quem secutus est, rebus ipsum interfuisse verisimile sit. Quare quem promptiorem hic habebat fontem Livio? At vero nimis brevis est epitome, quam qua certi quid statuere liceat; magis nostram quaestionem iuvant, quae alii e Livio desumpserunt, imprimis Lucanus, quem non tam Caesaris commentarios[11]) quam Livium secutum esse hic quoque probatur. Commemorat enim Caesaris mare traiecturi temeritatem[12]), deinde, quod repetere

1) App. II, 82.
2) Peter p. 125.
3) App. II. 49.
4) Dio 41, 52.
5) App. II. 63.
6) App. II. 67.
7) Dio 41, 52.
8) App. II, 61. Plut. Caes. 42.
9) App. II, 61.
10) App. II. 64. Plut. Caes. 42.
11) Kortüm geschichtl. Forschungen. Beiträge zur Charakteristik des Sil. Italicus, Lucan, Martial. Leipzig und Heidelberg 1863. p. 82.
12) Luc. V, 580.

Digitized by Google

liceat, tumultum a nona legione motum[1]), quibus de rebus Caesar ipse nihil. Praemissis his pauca tantum exempla e Dione iisque, qui Livium secuti sunt, petita afferam: Caesarem Brundisium reverti conatum esse[2]), castra ad Apsum flumen esse posita[3]), Caesarem hostes provocasse et ad pugnam lacessivisse[4]), Sadalem, Rhascuporem, Tarcondimotum auxilia Pompeio misisse[5]), quae nomina praeter Dionem Caesar tantum et Lucanus exhibent; Pompeium equitatu praevaluisse[6]), et duces et exercitus metu perculsos aggredi cunctatos esse[7]), cladem exercitus Pompei ab Asianis coepisse[8]). Accedit prodigiorum enumeratio, quae e Livio fluxisse Obsequens et Plutarchus[9]) testantur. Denique Caesarem epistulas, quae in Pompei castris inventae erant, non lectas concremasse praeter Dionem Seneca ac Plinius Livium secuti laudant[10]).

Liquet igitur, quantum ex paucis, quae e Livio supersunt, iudicari potest, Livio praecipuo et saepissime uno duce in libro XLI. Dionem usum esse, alterum praeterea scriptorem inspicere non sprevisse. Num Caesaris commentarios in hoc libro adhibuerit, in medio relinquimus.

Sequitur liber XLII; quo res a Pompei fuga et morte usque ad bellum Africanum gestae continentur, de quibus omnes fere scriptores idem tradunt. Neque Appianum in his rebus describendis Livio minimum auctoritatis tribuisse

---

1) Luc. V, 244.

2) Dio 41, 46. Flor. II, 13, 37. Luc. V, 476. V, 580 c. schol. Bern.

3) Dio 41, 47 (Caes. b. c. III, 13).

4) Dio 41, 49. Flor. l. c.

5) Dio 41. 51. 63. Luc. V, 54 c. schol. ed. Web. Caes. b. c. III, 36.

6) Dio 41, 60. Flor. l. c. (Caes. b. c. III, 93).

7) Dio 41, 58. Luc. VII, 340, 466.

8) Dio 41, 61. Luc. VII, 526 c. schol. ed. Web.

9) Dio 41, 61. Obseq. 65. Flor. II, 13. Plut. Caes. 47. Luc. l. c. (Caes. b. c. III, 105).

10) Plin. VII, 25. Seneca de ira II, 24.

Digitized by Google

recte iudicat Wijnne[1]). Ex eodem autem Plutarchum quoque plurima hausisse, quod Peter[2]) dicit, non probo. Ut praetermittam, de quibus inter omnes fere scriptores magna est consensio, res a Plutarcho narratae redire videntur ad auctorem, qui coniunctissime cum Pompeio vixit eumque Theophanem fuisse, cuius nomen apud Plutarchum bis occurrit[3]), Heerenio[4]) adsentior. Sed ut ad Dionem revertar, multi adsunt loci testantes hic quoque Dionem ad Livium esse referendum. Conferas velim, quae iisdem fere verbis a Dione et a Livianis narrantur: nimis celeriter Pompeium de salute desperasse[5]), Larisam confugisse, sed urbem non intrasse, ne cives Caesaris odium in se converterent[6]); consilii, quod civibus Pompeius dedit, iisdem fere verbis mentionem faciunt, quae verba componere liceat:

Dio 42, 2:

ἀλλ' ἐκείνοις μὲν τῷ κρατοῦντι προσχωρῆσαι ἐκέλευσεν.

Val. Max. IV, 5, 5:

ite, inquit, et istud officium praestate victori.

Luc. VII, 720:

Sed quid opus victo populis aut urbibus? inquit;
Victori praestate fidem.

porro, consilium ad Parthos fugiendi eum cepisse[7]), itinere per Ciliciam ac Cyprum facto ad Pelusium appulisse[8]). De Pompei interfectore scriptores inter se dissentiunt. Cum Septimium atque Achillam caedis auctores fuisse Dio et Caesar[9]) narrent, sed uter eum interfecerit, in incerto relinquant, ab Achilla eum esse occisum Livius tradit, quem

1) Wijne p. 36.

2) Peter p. 119.

3) Plut. Pomp. 76.

4) Heeren de font. et auctor. vit. Plut. p. 165.

5) Dio 42, 2. Luc. VIII, 266. Flor. II, 13.

6) Dio 42, 2. Luc. VII, 720. c. schol. ed. Web. Val. Max. IV. 5, 5. Flor. l. c.

7) Dio 42, 2. Flor. II, 13. Luc. VIII, 221. 237.

8) Dio 42, 3. Luc. VIII, 257. Flor. l. c. (Caes. b. c. III, 102).

9) Dio 42, 4. Caes. b. c. III, 104.

Digitized by Google

Lucanus sequitur [1]). A quibus Appianus et Plutarchus [2]) dissentiunt primum ictum Septimio — ita apud Appianum quoque legendum esse censeo pro Sempronio — tribuentes.

Pompei igitur fugam et mortem certe secundum Livium unum narrasse Dionem verisimile est. Neque de rebus a Caesare eiusque legatis interea gestis [3]) illum auctorem reliquisse Dionem puto. Nam ut Appianum [4]) praeteream, falso narrantem benigne Caesarem a Ptolemaeo rege esse exceptum, tumultum esse ortum exercitu Caesaris advecto et Pothino Achillaque morte multatis [5]), gravissima exstant argumenta e Livio ceterisque petita, quorum pauca sufficiant: Caesarem urbem tumultuantem non intrasse, sed in mari substitisse [6]), anulum et caput Pompei intuentem illacrimasse, tum demum metu posito in continentem exiisse [7]), Aegyptios fasces et lictores aegre tulisse [8]). Accedit, quod Dio deinde narrat de rebus a legatis Caesaris gestis: Salonienses pueris mulieribusque in muris dispositis Octavium arcuisse, quam quidem rem Dio in maius ornavit [9]); Gabinio morbo absumpto Illyricum ab Octavio esse occupatum [10]), Cordubenses a Q. Cassio Longino lacessitos rebellasse [11]), Cn. Pompei milites Pompei nomen scutis incisum gerere a Marcello medio inter Caesarem et Pompeianos se tenente vetitos

---

1) Liv. p. 112, Luc. VIII, 618.

2) App. II, 85. Plut. Pomp. 79.

3) Dio 42, 6—17.

4) App. II. 89.

5) App. II. 90.

6) Dio 42, 7. Luc. IX, 1004.

7) Dio 42, 7. Oros. VI, 15. Luc. IX, 1020 (Caes. b. c. III, 106). De signo Pompei anulo insculpto dissentit Dio a Plutarcho, quorum hic leonis signum eum tulisse, ille tria tropaea, ut Sullae, refert. Plut. Pomp. 80. Dio 42, 18.

8) Dio 42, 7. Luc. X, 9. Caes. b. c. III, 106.

9) Dio 42, 11. Caes. b. c. III, 9.

10) Dio 42, 11. b. Alex. 43.

11) Dio 42, 16. Liv. 111. b. Alex. 59.

Digitized by Google

esse[1]). Quae quamquam in commentario de bello Alexandrino conscripto exstant, tamen non ex hoc, sed e Livio fluxisse affirmo. Publicanorum libidinem Caesarem in Asia coercuisse Cassiodorius quoque Livio usus testatur[2]).

Sequitur quaestio difficillima de seditionibus Caesare absente Romae ortis deque honoribus ei decretis[3]), quibus in rebus tractandis a ceteris scriptoribus plane fere destitui nos valde dolendum est. Pompei et Sullae statuas a rostris esse remotas praeter Dionem[4]) nemo hic tradit, a Caesare postea esse restitutas multi testantur[5]). Nonnullae autem, quas Dio narrat, res et apud Livium et apud Caesarem leguntur. Eodem enim modo referunt: Caelium Rufum Trebonio conlegae adversantum legem tulisse, ut aes alienum et merces habitationum levaretur[6]), sellam eius curulem a Servilio consule esse confractam[7]), Miloni ut se coniungeret, eum ad Caesarem se proficisci simulasse[8]), utrumque bellum molientem occisum esse[9]), alterum tumultum a Dolabella et Trebellio esse motum[10]), illi Caesarem reversum pepercisse[11]). Una discrepantia, quae inter Dionem et Caesarem intercedit, notanda mihi videtur: cum priore illo tumultu orto urbis custodiam consuli esse datam Dio[12]) narret, Caesar[13]) senatum censuisse Caelium a re publica esse removendum refert. Sed missa hac discrepantia si, quoties in his rebus enarrandis Dio cum Livio et Caesare consentiat, computo,

1) Dio 42, 15. b. Alex. 58.
2) Dio 42, 6. Cassiod. epist. II, 39.
3) Dio 42, 17—34.
4) Dio 42, 18.
5) Dio 43, 49. Suet. Caes. 75. aliique.
6) Dio 42, 22. Liv. 111. Caes. b. c. III, 20, 21.
7) Dio 42, 23. Quinctil. VI, 3. Caes. b. c. III, 21.
8) Dio 42, 24. Liv. 111. Vell. II. 68. Caes. b. c. III, 22.
9) Dio 42, 25. Liv. l. c. Caes. b. c. l. c.
10) Dio 42, 29. Liv. 113. (Plut. Ant. 9.)
11) Dio 42, 33. Plut. Ant. 79.
12) Dio 42, 23.
13) Caes. b. c. III. 22.

Digitized by Google

hic quoque Livium a Dione adhibitum esse iure conicere mihi videor. Ad eundem autem prodigia quoque a Dione enumerata, de quibus alias nihil traditum est, referenda esse affirmare non ausim; neque de his idem valere, quod supra de Obsequente protuli[1]), dicam; uberior enim prodigiorum series apud Dionem invenitur, quam quae e Livio solo desumpta sit.

Pompeio interfecto quominus Caesar ilico Romam rediret, bello Alexandriae conflato impeditus est. Quoniam in quibus copiosius has res Appianus tractaverat[2]), libri interierunt, pauca, quae in libris de bello civili conscriptis[3]) de hoc bello traduntur, cum Dione conferre nullius momenti est; plura Plutarchus exhibet. De caussis enim huius belli duas affert sententias[4]), alteram, qua Cleopatrae amore ductus, alteram, qua Pothini aliorumque insidiis lacessitus Caesar hoc bellum susceperit, quam ipse secutus est. Eandem Livi quoque fuisse recte iudicasse mihi videtur Peter[5]) teste Orosio[7]), qui tutores regios populi odium in Caesarem collegisse Caesarique necem meditatos esse docet. Priorem sententiam Dionem probasse coniciat quis ex verbis[8]): ἥσπερ (sc. Κλεοπάτρας) ἕνεκα καὶ ἐπεπολεμήκει, haec autem non nimis premenda esse mihi videntur, primum quod toto demum bello enarrato hoc tamquam e mente sua addit, deinde quod ipse initio narrationis[9]) Alexandrinos pecuniae exactiones et res sacras laesas aegre ferentes tumultum movisse, bellum ipsum a Pothino esse conflatum affirmat.

Alteram hic quaestionem movere liceat. Traditum est

1) pag. 11.
2) Dio 42, 34—45.
3) App. II. 90.
4) App. l. c.
5) Plut. Caes. 48.
6) Peter p. 126.
7) Oros. VI, 15.
8) Dio 42, 44.
9) Dio 42, 34. 36.

Digitized by Google

a Dione[1]) Aegyptios aegre tulisse, quod ne rebus sacris quidem parceretur: ὅτι μηδὲ τῶν ἱερῶν τις ἀπείχετο, quod quidem pronomen „τις“ veteres Dionis interpretes[2]) de Caesare intellexisse reperio. Quod si ad eos refertur, quos incitasse populum notum est[3]), quod cur non liceat, non video, summa exsistit congruentia Dionis cum Orosio et Plutarcho[4]), qui regios tutores, ne Caesar pecuniam acciperet ipsumque ut civium invidiae obicerent, thesaurum regium et templa spoliasse narrant; unde haud spernendum argumentum peti potest. Ceterum de hoc bello multa a scriptoribus ficta ac confusa sunt[5]). Sed misso hoc ne desint alii loci, e quibus eluceat, quanta Dionis cum iis, qui Livium secuti sunt, sit consensio, maxime perspicua sunt, quae iisdem fere verbis de Cleopatrae forma ac venustate narrantur[6]); praeterea, testamentum Auletis Caesarem exsecutum esse[7]), legatos, qui ad Achillam missi erant, esse occisos[8]), qua de caede conferre liceat verba Dionis et Orosi[9]):

Dio: ὃς οὐχ ὅπως οὐκ ἐπήκουσεν αὐτοῦ, ἀλλὰ καὶ τοὺς στρατιώτας συνήγαγεν.

Oros: Nam iussus exercitum dimittere cui praeerat, non modo sprevit imperium, sed etiam aciem direxit.

Unum tantum trucidatum esse Lucani scholiastes[10]) Livio teste affert, cum duos esse interfectos et Caesar[11]) affirmet et ex Dione appareat; parum accurate autem hoc quoque loco narrasse Dionem ex eo concludas, quod postea

1) Dio 42, 34.
2) Reimarus I, p. 325. Sturz edit. II, 53.
3) Oros. VI, 15. Plut. Caes. 48.
4) ibid.
5) Drumannus III. p. 535.
6) Dio 42, 34. Flor. II, 13, 55. Luc. X, 85, 105.
7) Dio 42, 35. Liv. p. 112. (Caes. b. c. III, 108.)
8) Dio 42, 37. Luc. X, 471. c. schol. ed. Web. (Caes. b. c. III, 109.)
9) Dio 42, 37. Oros. VI, 15.
10) Luc. l. c.
11) Caes. b. c. III, 109.

Digitized by Google

Dioscoridis mentionem facit[1]), eiusdem sine dubio, qui legatus ad Achillam venerat.

Sequitur navalium et bibliothecae incendium, de quo componere expedit verba Lucani, Plutarchi, Flori[2]), ut ex eodem eos fonte, qui fuit Livius, hausisse eluceat; denique, Arsinoe in castra arcessita Achillam a Ganymede esse interemptum Dio et Lucanus[3]) Livio teste referunt.

Quibus argumentis alia plura, quae secundum Livium has res Dionem descripsisse probent, addere haud gravarer, nisi haec sufficere mihi viderentur.

Transeamus igitur ad bellum contra Pharnacem gestum[4]). Quae de hoc bello et apud Livium atque Orosium et apud Appianum ac Plutarchum leguntur, nullius fere momenti sunt. Dissentit, ut hoc attingam, Dio cum Appiano, qui unam tantum legationem a Pharnace ad Caesarem esse missam aliasque ac Dio ab ea condiciones esse propositas, deinde cum mille equitibus Caesarem primo impetu hostes fugasse commemorat. Tres autem legationes ad Caesarem venisse Dio[7]) refert; idem ex commentario de bello Alexandrino conscripto[8]) conici potest; responsum a Caesare legatis datum hic tribuit legationi primae, tertiae Dio.

Cetera autem inter eos conveniunt: legatos illos prae se tulisse Pharnacem Pompeio auxilium non misisse[9]), falcatis hostium curribus Caesaris milites primo esse perturbatos[10]), de bello uno proelio confecto Caesarem valde ga-

1) Dio 42, 41.

2) Dio 42, 38. Oros. VI, 15. Luc. X, 489. Plut. Caes. 49. Flor. II, 13, 59.

3) Dio 42, 39. 40. Luc. X, 519 c. schol. ed. Web., ubi Livio teste utitur. (b. Alex. 4.)

4) Dio 42, 46—50.

5) Liv. 113. Oros. VI, 15. App. II, 91. Plut. Caes. 50.

6) Dio 42, 47. App. l. c.

7) Dio 42, 47.

8) b. Alex. 70. 71.

9) Dio 42, 47. b. Alex. 70.

10) Dio l. c. b. Alex. l. c.

Digitized by Google

visum esse [1]), praedam militibus concessam, terram expugnatam inter Romanorum socios esse divisam [2]). Sed belli Alexandrini auctore ipso Dionem usum non esse ut intellegas, computes, quae a Dione tradita apud illum desiderantur: tropaeum a Caesare esse positum [3]), fanum Herculis Tyri esse spoliatum [4]). Quibus si addis, quod iisdem fere verbis et Dio et Florus tradunt „Pharnacem non tam suis viribus quam discordia Romana fretum hoc bellum movisse", Livium Dionis fontem fuisse verisimile est.

Sequitur difficillima quaestio de rebus a Caesare mense Septembri [6]) reverso Romae constitutis, quas Dio uberrime narravit. Multa enim disserit de legibus ab illo latis [8]), de praetorum numero aucto [9]), de sacerdotum collegiis amplificatis [10]), de quibus praeter Suetonium tacent fere omnes. Tumultus autem a legione decima moti et Livi epitome et alii plurimi mentionem faciunt [11]). Quare cum seditiones a tribunis plebis Caesare absente motas, quae erat caussa legum illarum, ad Livium redire supra docuerimus, etiam has res secundum Livium a Dione esse narratas concludam.

Falso Dio tradit M. Lepidum a Caesare magistrum equitum tum esse factum [12]), Sallustium praetorem in senatum esse receptum [13]), quem quaestorem fuisse constat [14]);

---

1) Dio 42, 48. Flor. II, 13, 61. b. Alex. 77. Suet. Caes. 37.
2) Dio l. c. b. Alex. l. c.
3) Dio 42, 48.
4) Dio 42, 49.
5) Dio 42, 45. Flor. II, 13, 62.
6) Dio 42, 46. b. Alex. 34. (Cic. ad fam. 14, 23. ad Att. 11, 23.)
7) Dio 42, 50—57.
8) Dio 42, 50. 51.
9) Dio 42, 51. Mommsen röm. Staatsrecht II, 1. p. 182.
10) Dio 42, 51.
11) Dio 42. 52. Liv. 113. App. II, 92. Suet. Caes. 70.
12) Dio 43, 1. Corp. inscr. lat. I, p. 440. 453.
13) Dio 42, 52.
14) Mommsen, röm. Staatsrecht I, 504, 2.

Digitized by Google

alias res confundit, quas cum enumerare longum sit, Drumannum conferas[1]).

Iam examinemus bellum in Africa gestum[2]), quod media hieme[3]) Caesar suscepit. Quem scriptorem de hoc bello Plutarchus sit secutus, quamquam duorum auctorum ceterum ignotorum sententias conferat, ignorare se dicit Peter[4]). Asinium autem Pollionem ante oculos eum habuisse nomine eius tamquam teste allato[5]) puto. Eundem Appianum quoque adhibuisse, praeterea belli Africani scriptorem consultasse Wijnne docet[6]). Aliunde autem Dionem sua desumpsisse ostendam. Frustra enim apud Appianum quaeruntur, quae Dio refert de dissensione inter Catonem et Scipionem orta[7]), de Scipione Sallutione[8]), de Caesare in faciem prolapso[9]), de Sittio Caesarem adiuvante[10]); accedit, quod Appianus dicit[11]) Catonem bestiae consimilem intestina sibi eripuisse, quem Dio debita laude prosequitur[12]). Quae eadem fere omnia in Livi periocha servata sunt; addere liceat alia argumenta: Uticam Catonis opera esse servatam[13]), Cn. Pompeium in Hispaniam esse missum[14]), quod hoc loco a Dione et Livio solis narratur; in Africa contra Jubae copias Caesarem primo male pugnasse[15]), in pugna ad Thapsum facta Pompeianorum cladem a Jubae elephantis esse

1) Dio 42, 50. Drumannus III, 566. 567.
2) Dio 42, 56—43, 14.
3) Dio 42, 56. b. Afr. 1.
4) Peter p. 127.
5) Plut. Caes. 52.
6) Wijnne p. 37. 49.
7) Dio 42. 57.
8) Dio 42, 58. Plut. Caes. 52. Suet. Caes. 59.
9) Dio l. c. Suet. Caes. 59.
10) Dio 43, 5. b. Afr. 48.
11) App. II. 99.
12) Dio 43, 11.
13) Dio 42, 57. Liv. periocha 113.
14) Dio 42, 56. Liv. l. c.
15) Dio 43, 2. Liv. 113. Flor. II, 13, 65.

Digitized by Google

ortam [1]). Haec ab utroque eodem rerum ordine servato tradita sunt; una tantum inter eos discrepantia de Jubae et Petrei morte notanda mihi videtur. Petreium Jubam primum, deinde se ipsum interfecisse Livius et Florus testantur neque ab his dissentit Orosius [2]). Singulari certamine eos esse congressos apud Dionem, Appianum, belli Africani auctorem legitur [3]), quorum hic primum Petreium a Juba, deinde Jubam a servo esse necatum refert. Qua de re ita iudico: altera haec narratio, qua inter se certasse eos traditur, Dioni magis arridebat Liviana illa, quare quum cetera e Livio eum hausisse statuamus, illud ex alio scriptore operi suo intexuisse eum verisimile est, quem belli Africani auctorem fuisse, quocum et hic [4]) et supra nonnunquam congruit Dio, putare inclino.

Ne hoc quoque bellum prodigiis careat, duo ostenta e libris prioribus [5]) repetita narrationi suae Dio inseruit [6]). Transit Dio ad honores et magistratus Caesari absenti decretos, in quibus describendis nonnumquam erravit [7]). Sequitur Caesaris oratio primum ad senatum, deinde ad populum habita [8]), de qua Wilmansi iudicio [9]) „finxisse hanc orationem ex ingenio suo Dionem“ adsentior. Honores illi Caesari decreti resque ab eo Romam reverso actae, quae uberrime a Dione narrantur, unde desumpta sint difficile dictu est, cum neque ipse nec Suetonius [10]), qui praeter Dionem praecipuus harum rerum auctor est, fontes indicent.

---

1) Dio 43, 8. Liv. 114. Flor. II, 13, 66. Oros. VI, 16.

2) Liv. 114. Flor. II, 13, 69. Oros. VI, 16.

3) Dio 43, 8. App. II, 100. b. Afr. 94.

4) Dio 43, 4 de elephantis ex Italia arcessitis b. Afr. 72. Dio 43, 4 de Gaetulis Caesari faventibus b. Afr. 32.

5) Dio 40, 17. 41, 14.

6) Dio 43, 2.

7) Dio 43, 14 sq. Mommsen Staatsrecht II, 1. p. 665, 1.

8) Dio 43, 15—19.

9) Wilmansius p. 32.

10) Suet. Caes. 37—41.

Digitized by Google

Accedit, quod Livi epitome ceterique[1]) exiliores sunt, quam e quibus certi quid statui possit. Quare singula a singulis tradita componere nihil expedit. Duo tantum argumenta urgenda mihi videntur: primum quod eodem quo Livius ordine quattuor triumphos Dio[2]) recenset; deinde alterum longeque gravissimum a recensu civium a Caesare acto[3]) petitum. Narrant enim Plutarchus et Appianus[4]) censu civium facto numerum eorum dimidia fere parte bellis civilibus diminutum esse repertum. Errasse autem eos e Dione et Suetonio[5]) patet, qui recensum, non censum, Caesarem egisse et plebis frumentum accipientis numerum bellis civilibus auctum ad CD milia redegisse testantur; idem Livium tradidisse periochae verba docent[6]). Suetonium rectum quidem rettulisse, sed falso de censu intellexisse elucet e vituperatione ab eo addita: „nec more nec loco solito, sed vicatim per dominos insularum“ (sc. recensum egit). Censum autem, quem Dio[7]) quoque postea falso commemorat, anno XXVIII. demum a. Chr. n. ab Augusto esse actum constat[8]).

Quare cum Suetonius et Dio cum Livio de recensu consentiant, utrumque e Livio hausisse contendo. Ad eundem et alia plurima, quae inter eos conveniunt, redire veri-

---

1) Liv. 115. Plut. Caes. 55. App. II, 102.

2) Liv. 115. Dio 43, 19.

3) Dio 43, 21.

4) Plut. Caes. 55. App. II, 102.

5) Dio 43, 21. Suet. Caes. 41. Drumannus III, 620, 87. Egger p. 20: „Plut. Caes. 55 a pris cette operation, dont Suétone indique si bien le caractère, pour un recensement de tous les citoyens romains et le chiffre de 150,000 citoyens, au lieu de 320,000, admis aux distributions de blé, comme une mesure des ravages de la guerre civile. Appien II, 102 partage l'erreur de Plutarque. Mais Dion Cassius a fort bien traduit le sens d'expression latine „recensum“ (et non pas „censum) egit“, par ἐξέτασιν (et non pas ἀπογραφὴν) ou ἀναγραφὴν) ἐποιήσατο.“

7) Dio 43, 25.

8) Mon. Ancyr. tab. II.

Digitized by Google

simile est; nam de ceteris quoque rebus ab illis traditis Livium tractasse ex epitomae fragmentis apparet[1]). Plures quidem ante oculos se habuisse auctores Dio indicat[2]); sed qui fuerint, aut quid ex iis deprompserit, neque ipse docet neque aliunde conici potest.

At dicat quis Suetonio ipso Dionem usum esse; atque sunt, qui hoc putaverint[3]). Sane magna quidem inter eos intercedit congruentia, imprimis numerorum, quos affere hic Dio non praetermisit. Sed si computes, quae ab altero tradita apud alterum desiderantur, deinde copiosiorem esse Dionis narrationem, quam quae e Suetonio fluxerit, denique Livi annales ei promptiores et notiores fuisse Suetoni libro, etiam in his rebus enarrandis Dionem Livium non reliquisse liquet.

De fide Dionis quaerere longum est; qua de re aliorum iudicia adeas, de lege a Caesare lata, qua qui praeturam gessissent, annum, qui consulatum, biennium provinciis praeessent[4]), de Caesaris dictatura et consulatu[5]) aliisque.

Refert deinde Dio[6]) intercalationem, qua anni rectum modum restituit Caesar doctus ab Alexandrinis, ut falso a Dione aliisque[7]) traditur. De hac intercalandi ratione nec minus de numero dierum intercalatorum mirum quantum omnes fere scriptores cum Dione consentiunt[8]), qui ipse alteram praeterea sententiam, qua plus sexaginta septem

1) Liv. 115.

2) Dio 43, 24, 26.

3) Roth quaest. Sueton. p. 17. praef. editionis. Lipsiae 1858. Reifferscheid Suetoni reliquiae p. 470.

4) Dio 43, 14. 25. 45. Cic. Phil. I, 8, 19. Mommsen, röm. Staatsrecht II, 1, 686.

5) Dio 43, 14. Mommsen, röm. Staatsrecht II. 1, 673, 3. Corp. inscr. lat. I, p. 451. Stobbe Philol. 27, p. 109.

6) Dio 43, 26.

7) Dio l. c. App. II, 103. Macrob. I, 14, 16. Ideler, Handbuch der Chronologie I, p. 161. Mommsen, röm. Chronol. p. 63. Beilage p. 256.

8) Dio l. c. Suet. Caes. 40. Censorin. d. die nat. 20.

Digitized by Google

dies intercalati esse feruntur, refutat. Sed unde fluxerint hae sententiae, nec Dio neque alii docent. Livium de hac re fuisse Dionis auctorem pro accurata et copiosa Dionis narratione affirmare non ausim.

Restat, ut postremum bellum a Caesare in Hispania contra Pompei filios gestum[1]) in partem vocemus. Quo in bello enarrando duas diversas sententias, quot fuerint urbis praefecti, Dio[2]) affert, quarum altera octo, altera, quam Dio probat, sex fuisse tradit. Quis fuerit utriusque sententiae auctor, frustra quaeris vel apud Dionem vel apud Suetonium[3]), qui numerum reticet. Sed mittamus hanc quaestionem; de bello ipso ceteros scriptores cum Dione conferamus. Pauca, quae Asinium Pollionem secutus Appianus[4]) confuse ac falso narrat, cum Dione comparare operae pretium non est. Cui quanta sit fides habenda ut intellegas, unum afferam: pugnae ad Mundam factae prorsus mentionem non facit; proelio ad Cordubam facto urbem ipsam cadaverum vallo esse circumdatam narrat, quod ceteri omnes de Munda tradunt. Asinium Pollionem Suetonius[5]) quoque testem adhibet ad refellendos eos, qui Caesarem ad Mundam milites cohortatum esse putent: „ne tempus quidem contionandi fuisse subita hostium incursione" eum affirmasse. Aliam autem caussam cur cohortatio facta non sit, Dio[6]) affert: milites belli diuturnitate tam inexpiabili ira effervuisse, ut Caesari eos affari opus non fuerit. Jam Pollione usum non esse Dionem liquet. Sed quem auctorem sit secutus ut eluceat, Livium eosque, quos ab eo pendere constat, adsciscamus. Quibus hic adnumerandus est Plutarchus, qui Livium de hoc bello consultavit[7]).

---

1) Dio 43, 28—41.

2) Dio 43, 28.

3) Suet. Caes. 76. Mommsen, röm. Staatsrecht I, p. 644, 2.

4) App. II, 103.

5) Suet. Caes. 55.

6) Dio 43, 36.

7) Peter p. 127: „Nur kurz hat Plut. den span. Krieg berührt, aber doch darin Einzelnes überliefert, was sich sonst nirgends, an-

Digitized by Google

Hi aeque ac Dio referunt: postremum illud bellum Caesarem gessisse, qua de re Dionis, Plutarchi, Flori, Orosi verba conferas[1]); Varum et Labienum legatos ad Pompeium venisse[2]), Q. Pedium et Fabium Maximum Caesaris legatos fuisse, Varum proelio navali a Didio esse victum[3]), Munatium Flaccum a Pompeio Atteguam esse intromissum[4]), ultimum certamen prope Mundam fuisse, hanc urbem cadaverum vallo esse munitam, quam[5]) cur τὴν πόλιν Dio semper vocet, non intellego, fugam errore Pompeianorum esse ortam[6]), Cn. Pompeium a Caesennio esse occisum[7]). Quibus si adicis prodigium a Dione[8]) allatum, quod idem apud Obsequentem invenitur „Pompei aquilas ad Caesarem volare conatas esse", hoc quoque bellum a Dione secundum Livium narratum esse elucet. Num ad eundem alterum quoque ostentum, germen e palma enatum, quod praeter Dionem Suetonius[10]) solus tradidit, referendum sit, nescire me fateor; cetera prodigia, quae occurrunt apud Dionem, e prioribus libris repetita videntur.

Hic finis narrationis de bellis civilibus a Caesare gestis factae, quam fere totam e Livio desumptam aliis quibusdam ex aliis scriptoribus haustis Dionem auxisse et ornasse ostendimus.

Sequuntur honores Caesari ex Hispania reverso de-

---

deres, was sich ausser ihm nur noch bei Oros. VI, 16 findet, so dass auch hier an Livius als Quelle gedacht werden kann."

1) Dio 43, 41. Plut. Caes. 56. Oros. VI, 16. Flor. II, 13, 77.

2) Dio 43, 30. Oros. l. c.

3) Dio 43, 31. b. Hisp. 2.

4) Dio 43, 35. Val. Max. IX, 2, 4. b. Hisp. 19.

5) Dio 43, 38. Liv. 115. Oros. VI, 16. Flor. II, 13, 78. Plut. Caes. 59, Luc. I, 40. Val. Max. VI, 6, 5.

6) Dio 43, 38. Flor. II, 13, 84. b. Hisp. 31.

7) Dio 43, 40. Caesonium exhibent Flor. II, 13, 86. Oros. VI, 16.

8) Dio 43, 35.

9) Obseq. 66.

10) Dio 43, 41. Suet. Aug. 94.

Digitized by Google

creti[1]); in quibus enumerandis quamquam gravissimos tantum relaturum se esse Dio dicit[2]), tamen tam multus est, ut omnes ceteros scriptores longe superet. Quare quid expedit comparare cum Dione pauca, quae in Livi epitoma[3]) servata sunt, quae a Floro et Appiano[4]) narrantur; maiores tantum res ibi leguntur: quintum triumphum a Caesare ex Hispania esse actum[5]), senatum decrevisse, ut Caesar parens patriae haberetur et sacrosanctus ac dictator perpetuus esset[6]), senatui summos honores ei deferenti Caesarem non adsurrexisse[7]), Epidio Marullo et Caesetio Flavo tribunis plebis potestatem esse abrogatam, quod quominus imagini eius diadema imponeretur ipseque rex appellaretur, prohibuissent[8]), Antonium Lupercalibus diadema capiti eius imposuisse[9]). At quid haec pro ampla Dionis descriptione? Sed has res a Livio uberrime in libro CXVI. integro tractatas esse ex eo apparet, quod et epitomae maior sunt pars. Eundem et ab Appiano et a Plutarcho in his rebus enarrandis adhibitum esse alii docuerunt[10]). Adiciam, quod Plutarchus et Dio iisdem fere verbis memoriae prodiderunt voces a Cicerone de Canini consulatu[11]) deque Pompei et Sullae statuis a Caesare restitutis[12]) editas. Non minus copiosus quam Dio est Suetonius[13]), qui ipse quoque unde sua hauserit, reticet. Suetonio autem Dionem usum esse quominus sta-

---

1) Dio 43, 42—44.

2) Dio 43, 46.

3) Liv. 116.

4) Flor. II, 13, 88. App. II, 107.

5) Dio 43, 42. Liv. 116. Flor. l. c.

6) Dio 44, 4. 5. 8. Liv. 116. Flor. II, 13, 91.

7) Dio 44, 8. Liv. l. c.

8) Dio 44, 9. Liv. l. c. corp. inscr. lat. I. p. 461.

9) Dio 44, 11. Liv. 116.

10) Wijnne p. 36. Peter p. 127.

11) Dio 43, 46. altera quidem vox apud Dionem desideratur, res vero commemoratur. Plut. Caes. 58.

12) Dio 43, 49. Plut. Caes. 57.

13) Suet. Caes. 79.

Digitized by Google

tuam, eo impedior, quod primum nimis parce res Suetonius descripsit, quam ex quo copiosa Dionis narratio profluxerit; deinde res post bellum Hispaniense gestas confudit cum prioribus. Complures autem et a Suetonio ac Dione et a Plutarcho relationes contextas esse uno exemplo ostendere liceat. Refert enim Plutarchus[1]) Caesarem, cum senatui, ut supra dictum est, non adsurrexerit, domum properasse et amicis ad mortem se esse paratum dixisse, postea vero morbum finxisse; ita autem rem se non habuisse, sed a Cornelio Balbo eum esse retentum. Eandem caussam affert Suetonius[2]), cui alteram addit graviorem „Caesarem etsi C. Trebatio adhortante non adsurrexisse". Dio[3]) *ἢ θεοβλαβείᾳ τινί ἢ καὶ περιχαρείᾳ* illud ut faceret, eum esse adductum putat; amicos vero rem morbo excusantes nemini persuasisse. Vides eandem caussam ab unoquoque relatam quidem, sed refutatam. Qua re plures hic auctores Dionem ante oculos habuisse, Livio autem, quem de ceteris quoque rebus urbanis consultasse eum supra docuimus, plurimum auctoritatis tribuisse puto. Ex actis publicis illam de diademate Caesaris capiti imposito narrationem desumptam esse, quod Wilmansius[4]) contendit, ex verbis a Dione allatis[5]): „*ἀλλὰ καὶ ἐς τὰ ὑπομνήματα ἐγγραφῆναι ἐποίησεν*" haud coniciam; eadem enim Cicero[6]) quoque exhibet. Falso tradit Dio pomerium a Caesare esse prolatum[7]), theatrum ab eo ex magna parte esse exstructum[8]); vestis triumphalis Caesari concessae bis mentionem facit[9]).

Pauca dicenda mihi videntur de rebus, quae Caesaris

---

1) Plut. Caes. 60.
2) Suet. Caes. 79.
3) Dio 44, 8.
4) Wilmansius p. 24.
5) Dio 44, 11.
6) Cic. Phil. II, 34.
7) Dio 43, 50. Mommsen, röm. Staatsrecht II, 1, 694, 3.
8) Dio 43, 49. Drumannus III, 675.
9) Dio 44, 4. 6. Mommsen Staatsrecht I, 401, 1.

Digitized by Google

caedi antecedunt. Quem scriptorem hic Dio sit secutus, certius dicere me posse gaudeo. Duo enim Calpurniae, Caesaris uxoris, somnia affert Plutarchus [1]), quorum alterum e Livio fluxisse et ipse indicat et ex Obsequente [2]) patet. Idem autem idque unum cum Dio exhibeat, Livio eum usum esse pro certo habeo. Accedunt aliae, quae exstant inter Plutarchum et Dionem congruentiae: inveniuntur apud utrumque voces eaedem Brutum, ut Caesarem interficeret, excitantes [3]), Spurinnae haruspicis responsum „idus Martias adesse quidem, sed non praeteriisse“ [4]), Porciam, Bruti uxorem, ipsam vulnere se affecisse [5]), quod Valerius Maximus quoque Livio sine dubio usus commemorat [6]); deinde ostenta eadem et ab his et ab Obsequente ac Floro relata [7]); denique haud parvi momenti mihi esse videtur, quod Dio eosdem quattuor tantum Caesaris interfectores enumerat, quos Livi epitome exhibet [8]). Manifesta praeterea inter Dionem et Suetonium [9]) intercedit consensio, qui ex eodem quo Dio fonte plurima hausisse verisimile est. Quibus perpensis hic quoque Dionem Livio permultum tribuisse concludo.

Iam transeamus ad caedem ipsam, de qua pauca, sed vera se narraturum esse Dio profitetur. Ac primum quidem refutat illos, qui Caesarem affatum esse Brutum verbis hisce: „*καὶ σὺ τέκνον*“ commemorent [10]). Quid quod eandem rem Suetonius [11]) et Plutarchus [12]), qui vocem ipsam reticet, verbis: „etsi tradiderunt quidam“, „*λέγεταί τε ὑπό*

1) Plut. Caes. 63.
2) Obseq. 66.
3) Dio 44, 12. Plut. Caes. 62.
4) Dio 44, 18. Plut. Caes. 63. (Suet. Caes. 82.)
5) Dio 44, 13. Plut. Brut. 13. (Cat. min. 73.)
6) Val. Max. III, 2, 15.
7) Dio 44, 17. Obseq. 66. Flor. II, 13. (Suet. Caes. 81.)
8) Dio 44, 14. Liv. 116.
9) Suet. Caes. 81. 82.
10) Dio 44, 19.
11) Suet. Caes. 81.
12) Plut. Caes. 66.

Digitized by Google

τινων" narrationi suae adiecerunt. Qua de voce cum tres illi scriptores dubitent, non tam ab ipsis hanc dubitationem esse motam quam ex eodem fonte desumptam conicio. Suetonio vero Dionem usum non esse ex eo apparet, quod alia multa ab illo tradita [1]) apud Dionem desiderantur; immo ad Livium hoc quoque referendum esse credo; ex eodem cetera, quae inter eos conveniunt, petita mihi videntur. De vulnerum Caesari inflictorum numero omnes scriptores cum Livio consentiunt, quem quidem numerum Dio [2]), ut facere consuevit, verbis: „πολλοῖς τραύμασιν" evitat, Tilli Cimbri nomen, qui Caesari togam de humero detraxit, pronomine „τις" reticet.

De rebus ad Caesaris caedem usque gestis Livium praecipuum ducem secutum esse Dionem satis demonstrasse mihi videor; iam de rebus, quae subsequuntur, quaerere pergamus.

Brutus populum verbis pacare frustra conatus cum coniuratis confugit in Capitolium [3]), quo Dolabella quoque ascendit [4]). Foro a Lepido occupato Antonius senatum in Telluris templum convocavit [5]). Paucis his praemissis Dio [6]) Ciceronem ad senatum in templum congregatum loquentem inducit, quod ἀμνηστίας ἐγκώμιον in contione a Cicerone esse dictum Appianus [7]) refert. Composuisse hanc orationem ex ingenio suo Dionem Drumannus [8]) recte iudicat; argumentum autem aliunde ab eo esse petitum contendo. Iisdem enim fere verbis eius orationis mentionem faciunt praeter Dionem Cicero et Velleius Paterculus [9]), quorum hic de

1) Suet. Caes. 81.
2) Liv. 116. Oros. VI, 17. Flor. II, 13. App. II, 117.
3) Dio 44, 49.
4) Dio 44, 21.
5) Dio 44, 22.
6) Dio l. c.
7) Dio 44, 23—33.
8) App. II, 142.
9) Drumannus I, 94.
10) Cic. Phil. I, 1. Vell. Paterc. II, 58.

Digitized by Google

rebus antecedentibus quoque cum Dione mire consentit. Senatus consulto oblivionem rerum praeteritarum esse decretam et Velleius Paterculus et Livius[1]) docent. Quare cum Livium Velleio notum fuisse ex aliis locis constet, cum Velleio Dio de plurimis rebus congruat, hic quoque Livium adiisse Dionem affirmem.

Cum Dio ab indicandis fontibus adhuc plane abstinuerit, in Caesaris testamento recensendo Octavianum ipsum testem adhibet[2]). Intellegendi sunt eius commentarii, qui tredecim libris res Augusti a puero bello tenus Cantabrico nec ultra complectebantur[3]). De pecunia a Caesare populo legata dicit[4]): „*καὶ δραχμάς, ὡς μὲν αὐτὸς ὁ Ὀκταούιος γράφει, τριάκοντα, ὡς δὲ ἕτεροι, πέντε καὶ ἑβδομήκοντα ἑκάστῳ σφῶν δοθῆναι κελεύκεν.*“ Quod primo aspectu veri studium haberi possit, cum Plutarchum, Suetonium, Appianum[5]) ex ipsius Augusti commentariis refutet. Verum marmore Ancyrano Dio ipse refellitur; ibi enim legitur: „Plebei Romanae viritim H. S. trecenos numeravi e testamento patris mei[6]).“ Quod quomodo sit extricandum, cum ab aliis aliter sit iudicatum[7]), ego ita censeo: e commentariis ipsis Dio non hausit illum numerum, quod idem Egger[8]) probat; quare cum e fonte ipso iam derivato fluxerit, quomodo error ille sit ortus, perspicuum est. Num Livius ille fuerit, in medio relinquo; monumentum Ancyranum Dioni in Caesaris testamento describendo innotuisse nego.

Sequitur apud Dionem oratio funebris ab Antonio in

---

1) Liv. 116. Vell. Paterc. l. c.

2) Dio 44, 35.

3) Suet. Aug. 2, 85.

4) Dio l. c.

5) Plut. Brut. 20. Ant. 16. Suet. Caes. 83. App. II, 143.

6) Mon. Ancyr. tab. 3, 8.

7) Drumannus I, 101. Wilmansius p. 23. sq.

8) Egger p. 19: mais rien ne prouve d'ailleurs, que Dion Cassius les ait directement consultés.

Digitized by Google

Caesarem habita[1]). Sed quam dissimilis haec verae orationis ab Appiano[2]) integrae servatae, quae non uno tenore dicta est, sed actis Caesaris pronuntiandis saepissime interrupta. Non vero plane confictam esse illam orationem a Dione testis est Cicero[3]), cuius verba si ad Dionis expendes, argumentum eius esse dicas. Sed num inde summam orationis deprompserit Dio et quid ipse adiecerit, aeque incertum est.

Quem in ultima l. XLIV. parte[4]) scriptorem Dio secutus sit, difficile dictu est. Qua in parte quae tradidit Dio, alia apud Suetonium[5]), alia apud Appianum[6]) reperiuntur. Errat autem Suetonius referens Caesaris corpus in campo Martio esse collocatum, errat Appianus dicens curiam ipsam esse incensam[7]), populum, quominus Caesaris corpus in Capitolium ferret, a sacerdotibus esse impeditum[8]); a militibus eum esse retentum Dio et Suetonius narrant[9]); accedit, quod ceream Caesaris effigiem multitudini esse ostentam Appianus[10]) refert, de qua Dio nihil. Quibus e discrepantiis diversos auctores eos secutos esse patet. Aliis de rebus Livium et Velleium cum Dione conferas: Caesaris corpus ante rostra esse crematum[11]), dictaturam in perpetuum esse sublatam[12]), in rerum tumultu Lepidum pontificatum intercepisse[13]), quem „furto creatum“ vocat Velleius, „omnibus maiorum institutis neglectis“ Dio. Haec igitur e

1) Dio 44, 36—50.
2) App. II, 144—147.
3) Cic. Phil. II, 36.
4) Dio 44, 50—53.
5) Suet. Caes. 89.
6) App. II, 148.
7) Suet. Caes. 84. App. II, 147. Drumannus I, 103.
8) App. II, 148.
9) Dio l. c. Suet. l. c.
10) App. II, 147.
11) Dio 44, 50. Liv. 116.
12) Dio 44, 51. Liv. 116.
13) Dio 44, 53 Vell. II, 63. Liv. 116.

Digitized by Google

Livio fluxisse quamquam pro certo affirmari nequit, a verisimilitudine tamen non abhorret.

Iam quaeramus, quantum in rebus inter Octavianum et Antonium gestis enarrandis e Livio deprompserit Dio, de quibus alii ei auctores praeter eos, quos in libris prioribus consultare potuit, aderant [1]).

De Octaviani adulescentia deque rebus ab eo gestis tractandi initium facit Dio inde a l. XLV. Mirum quanta de prodigiis, quibus Caesar ductus Octavianum maxime dilexerat et foverat, inter Dionem et Suetonium [2]), qui soli ea commemorant, intercedit consensio. Unum prodigium, Ciceronis somnium, ipse Plutarchus [3]) exhibet, quod Suetonius [4]) Catulo tribuit; alterum praeterea somnium, quod Catulo visum est, commemorant et Suetonius et Dio [5]), apud quem prius Catuli somnium desideratur. De somnio deinde Ciceroni tributo et de ceteris ostentis Suetonius et Dio plane consentiunt. Num vero eosdem omnes, quos Suetonius auctores nominatim affert, Dio inspexerit, dubito; nec Suetonio ipso eum usum esse ex discrepantiis supra allatis apparet. Quare de his prodigiis Dionem eundem scriptorem adiisse, ex quo et Suetonius plurima desumpsit, affirmare ausim; num Livius ostenta illa tradiderit, cum apud Obsequentem desiderentur omnia, incertum est.

Transeamus ad discidium inter Octavianum et Antonium ortum [6]). Missis perpaucis, quae Plutarchus et Suetonius [7]) de hac dissensione tradiderunt, haud parvi momenti est cum Dione conferre Appianum, quem in tertio quoque libro de bello civili conscripto Asinio Pollioni plurimum

---

1) Wilmansius p. 19. 21. Wijnne p. 62.
2) Dio 45, 1. 2. Suet. Aug. 94.
3) Plut. Cic. 44.
4) Suet. l. c.
5) Suet. l. c. Dio 45, 2.
6) Dio 45, 3.
7) Plut. Ant. 16. Suet. Aug. 10.

Digitized by Google

auctoritatis tribuisse Wijnne docet[1]). Quod ut eluceat, unum exemplum sufficit: cladem a Pollione in Hispania acceptam ne commemorat quidem Appianus, quam Dionem[2]) cum uberrime tradat ex alio fonte hausisse verisimile est. Nec desunt alia, de quibus Appianus a Dione dissentit: ad Lupias, non ad Brundisium Octavianum appulisse[3]), magna hominum multitudine saeptum Romam intrasse[4]), Octavianum ad Antonium, ut inter se paciscerentur, se contulisse[5]), discessisse ab eo infestum[6]). Pauca, quae apud Livium, Florum, Orosium[7]) servata sunt, cum nostro scriptore conferre operae pretium non est; gravissimum argumentum ex Obsequente[8]) petere liceat, qui omnia, quae Dio[9]) attulit, ostenta eodem rerum ordine servato atque eisdem fere verbis narrat. Quibus in enumerandis ne longus sim, id unum componam, quod Minervae imagine confracta indicatum esse uterque[10]) dicit: „Dio: „*καὶ τοῦτο μεν καὶ αὐτῷ τῷ Κικέρωνι τὸν ὄλεθρον προεδήλωσεν*“. Obseq.: „dirum Ciceroni ipsi portendit“. Accedit, quod Servili Isaurici, priscae virtutis viri, obitum commemorat Dio[11]), quo in viro, quanta eo tempore Romani reverentia usi sint erga eos, qui dignitate aliqua praestarent, ostendat. Cuius cum praeter Dionem Valerius Maximus[12]) solus Livium sine dubio secutus mentionem faciat, hic quoque Dionem e Livio pendere coniciam.

1) Wijnne p. 60.

2) Dio 45, 10.

3) App. III, 10. Nic. Damasc. *βιος Καισ·* ad Brundisium eum appulisse refert Dio 45, 3.

4) App. III, 12. aliter Dio 45, 5.

5) App. III, 14; aliter Dio 45, 8.

6) l. c.

7) Liv. 117. Flor. II, 15. Oros. VI, 18. Mörner p. 136.

8) Obseq. 68.

9) Dio 45, 4. 7. 17.

10) Dio 45, 17. Obseq. 68.

11) Dio 45, 16.

12) Val. Max. VIII, 5, 6.

Digitized by Google

Octaviani praeterea commentarios Dionem inspexisse Wilmansius [1]) affirmat, ego nego. Plinius [2]) enim stellae ludis Veneris visae ipsius Augusti verbis mentionem facit, quae maxima fide a Dione versa esse Wilmansius contendit. Quod ut non probem, his adducor rationibus: primum alteram illius ostenti interpretationem, quam Dio [3]) exhibet, apud Plinium desidero, quam Augustus ipse quidem commemorasse constat [4]); deinde ceteris ostentis e Livio petitis, ut supra docuimus, cur de hoc uno, quod Obsequens [5]) quoque tradit, ad alterum auctorem Dio confugerit, non video. At obiciat quis Dionem et Livium dissentire inter se, cum hic [6]) quartam et Martiam legiones, ille [7]) unam quartam, quae eadem Martia vocata sit, ab Antonio defecisse tradat. Quem Dionis locum, cum duas legiones ad Octavianum transfugisse constet [8]), corruptum addenda particula „καί" emendandum censeo, quod iam Reimarus [9]) vidit.

Intexuit hic operi suo Dio [10]) amplam declamationem a Cicerone in Antonium habitam. Cuius de argumento ac compositione cum Drumannum [11]) recte omnino iudicasse concedam, tamen sunt, de quibus singulis diligenter collatis plane ei non adsentiar. Sed ut certi quid statui possit, singulas orationis partes inquiramus necesse est. Sunt autem illius declamationis partes quattuor, quarum prima [12](

1) Wilmansius p. 21.

2) Plin. hist. nat. II, 25.

3) Dio 45, 7.

4) Serv. ad Verg. ecl. IX, 47.

5) Obseq. 68.

6) Liv. 117.

7) Dio 45, 13.

8) App. III, 45. Vell. Paterc. II, 61. Cic. Phil. V, 2.

9) Reimarus I, p. 428.

10) Dio 45, 18—47. Egger p. 292.

11) Drumannus I, 231: Den Cicero lässt Dio zuerst sein Gutachten abgeben, wozu er den Stoff aus den 6 ersten Philippiken, zum Theil selbst aus späteren entlehnt, und so willkührlich und flüchtig etc.

12) Dio 45, 18—20.

Digitized by Google

agitur de celeri Ciceronis reditu, secunda [1]) de vi ac libidine, qua Antonius in testamento Caesaris exsequendo usus est, tertia [2]) de Antoni vita privata et publica; quarta [3]) versatur in refutandis iis, quae Antonius Ciceroni obiecerat. Primae partis argumentum optime convenit cum Ciceronis orationis Philippicae I. capite II., ita ut hoc Dionem exscripsisse verisimile sit. Quae deinde sequuntur apud Dionem, quibus in Antonium esse invehendum probatur, ex ingenio suo Dionem addidisse puto.

Sequitur altera pars, quam totam e secunda oratione Philippica fluxisse contendo.

Conferas velim:

Dio 45, 22 cum Cic. Phil. II, 8, 2.
„ 45, 23 „ „ „ II, 14, 36.
„ 45, 24 „ „ „ II, 14, 36. II, 36.
„ 45, 23 „ „ „ II, 39.

Alia pauca, quae apud Dionem [4]) Antonio obiecta in Ciceronis Philippica II. desiderantur, „provincias et munera Antonium suo arbitrio distribuisse", e prioribus capitibus operis sui repetiisse Dio videtur.

Iam certius affirmem tertiam partem, in qua in libidinibus perditaque Antoni vita exagitandis eodem rerum ordine iisdemque saepe verbis ac Cicero Dio utitur, ad Ciceronis Philippicam orationem II. solam redire.

Cf. Dio 45, 26 cum Cic. Phil. II, 18, 28.
„ 45, 27 „ „ „ II, 19.
„ 45, 27 „ „ „ II, 21, 22.
„ 45, 28 „ „ „ II, 25, 30.
„ 45, 28, 3 „ „ „ II, 24.
„ 45, 29 „ „ „ II, 23, 25.
„ 45, 30 „ „ „ II, 32, 34.

---

1) Dio 45, 20—26.
2) Dio 45, 26—41.
3) Dio 45, 41—47.
4) Dio 45, 23. 25.

Digitized by Google

denique quae verba componere liceat:

Dio 45, 27: *οὗτος ὁ τὸ σπέρμα τῶν κακῶν κ. τ. λ.*

Cic. Phil. II, 22: sic huius luctuosissimi belli semen tu fuisti.

Dio 45, 30: *ταῦτα γὰρ ὁ Σέξτος ὁ Κλώδιος αὐτὸν τῶν δισχιλίων πλέθρων δοθέντων κ. τ. λ.*

Cic. Phil. II, 39: quid iam querar de agro Leontino? rhetori duo milia iugerum.

Quae exempla ornandi caussa e Romanorum historia petita Dio [1]) orationi inseruit, utrum e Ciceronis Philippica [2]) an e prioribus operis libris a Dione sumpta esse statuas, nullius momenti est.

Quarta demum orationis parte Antonium ipsum in Ciceronem verba fecisse discimus, ita ut nostra declamatio et defendendi et accusandi vim habeat. Hanc quoque partem ad Ciceronis Philippicam orationem II. referendam esse censeo.

Cf. Dio 45, 41 cum Cic. Phil. II, 13, 14.
„ 45, 42 „ „ „ II, 17, 19.
„ 45, 47 „ „ „ II, 16, 18.
„ „ „ „ „ II, 23, 28.

denique quibus terminatur odiosa haec oratio, omnia apud Ciceronem leguntur.

Quibus accurate collatis initium huius declamationis e Ciceronis Philippica oratione I., ceteras partes non tam e sex prioribus vel ex omnibus quattuordecim Ciceronis orationibus Philippicis quam e secunda eaque una fluxisse nemo negabit. Hoc posito propius accedimus ad rationem in historia conscribenda a Dione observatam, qui in rebus, quas enarrat, undique conquirendis non nimium laboravit.

Inducitur deinde a Dione [3]) Calenus adversus Ciceronem verba faciens, cuius de oratione Drumanni et Eggeri [4]) iu-

1) Dio 45, 31, 32.

2) Cic. Phil. II, 34, 44.

3) Dio 46, 1—29.

4) Drumannus I, 231. Egger p. 292: Les Antiphilippiques d'Antoine n'ont pas fourni toute la matière des invectives, que

Digitized by Google

dicia adeas. Mihi unde argumenta eius deprompta sint, quaerendum est. Sunt huius declamationis partes duae, quarum alteram ad Antoni Antiphilippicas, alteram ad Pseudo-Sallustianam declamationem in Ciceronem habitam redire Wilmansius [1]) contendit. Illud probo, huic non adsentior. Primum enim quo alteram partem ad Pseudo-Sallustianam declamationem redire doceat, Wilmansius affirmat „publicam potius quam privatam Cieronis vitam ab Antonio esse oppugnatam, alioquin illum paria paribus referre praetermissurum non fuisse". Cui oppono: non praetermisit Cicero in oratione Philippica II. in vitam privatam Antoni foedissimis criminationibus invehi. Deinde affert Wilmansius [2]) quinque fere res et in Caleni et in Pseudo-Sallustiana declamatione Ciceroni obiectas; quarum quae sit congruentia, non video. Eadem autem convicia cum Ciceronis Philippica oratio II. attingat, in qua Antonio approbrantur, et hanc et priorem Caleni declamationis partem ex Antoni Antiphilippicis orationibus profectas esse contendo.

At dicat quis gravissima, quae in Ciceronem Calenus confert maledicta, in Ciceronis Philippica frustra quaeri. Reputet secum Ciceronem non nihil ipsum sibi obtrectaturum fuisse, si haec quoque reicienda suscepisset.

De tempore, quo habitas esse has orationes Dio falso tradit, quaerere supersedeo; aggrediar res ab Antonio et Octaviano in Italia gestas [3]). Qua prima narratione, ab

---

Dion met dans la bouche de Calénus; l'artifice de cette composition est trop grossier, et l'on ne sait s'il faut, pour l'honneur de l'écrivain, l'attribuer plutôt à une colère jalouse contre Cicéron, qu' à l'amour des amplifications sophistiques. Au moins, la déclamation attribuée à Salluste, et les plus mauvaises déclamations des recueils de Sénèque et de Quintilien, n'offrent rien de pareil à cette étrange diatribe.

1) Wilmansius p. 37.

2) Wilmansius p. 38.

3) Dio 46, 29—56.

Digitized by Google

Digitized by Google

UNIV. OF CALIFORNIA

triumphi honorem esse decretum, Octaviani milites esse neglectos [1]), hunc Romam profectum consulem esse creatum [2]), D. Brutum a Sequano quodam esse occisum [3]), cuius nomen, quod Dio reticet, ab aliis aliud traditur; Antoni filiam Octaviano nupsisse [4]), societatem ab Octaviano, Antonio, Lepido in quinquennium esse initam [5]). Litteras plumbo inscriptas Mutinam Bruto obsesso intromissas esse praeter Dionem [6]) Frontinus [7]) Livium haud dubie secutus commemorat. Accedit, quod prodigia, quibus hic quoque narrationem ornavit Dio [8]), omnia fere apud Obsequentem [9]) occurrunt. De victimarum numero, quarum iecinora replicata inveniebantur, inter se differunt Dio et Plinius [10]), quorum hic sex, duodecim Dio fuisse narrat; sed et alterum numerum Dioni notum fuisse ex eo concludam, quod certum numerum hic praeter morem suum et attulit et urgere videtur. Item de vulturum numero, qui Octaviano visi sunt, Obsequentem et Dionem [11]) discrepare dicat quis; sed contraxisse Dionem numeros, quos singulos Obseqens affert, e Suetonio [12]) patet. Denique, quod gravissimi est momenti, mentionem facit Dio [13]) P. Servili Cascae, qui tribunus plebis a P. Titio conlega magistratu deiectus est; Titium ipsum paulo post diem obiisse; quod cuique magistratui evenisse, qui conlegae potestatem abrogaverit, exemplis ex historia

1) Dio 46, 40. Liv. 119.

2) Dio 46, 45. Liv. l. c.

3) Dio 46, 53. Liv. 120. Oros. VI, 18. Vell. II, 64. App. III, 98. Val. Max. IX. 13, 3.

4) Dio 46, 56. Oros. l. c.

5) Dio 46, 55. Liv. 120. Oros. VI, 18.

6) Dio 46, 36.

7) Frontin. strat. III, 13, 7.

8) Dio 46, 33. 35. 46.

9) Obseq. 69.

10) Plin. nat. hist. XI, 37. Dio 46, 35.

11) Dio 46, 46. Obseq. 69.

12) Suet. Aug. 95.

13) Dio 46, 47.

Digitized by Google

Romanorum petitis demonstrat. Quam rem pro prodigio habitam iisdem fere verbis iisdemque exemplis probatam Obsequens [1]) exhibet, eo tantum a Dione discrepans, quod falso Titium praetorem fuisse dicit.

Plurima in his rebus enarrandis Livium Dioni suppeditasse nemo negabit; alterum praeterea fontem se inspexisse ipse testatur. Reicit enim illorum sententiam, qui Octavianum, quum primum ad Italiam appulsus sit, statim Caesaris nomen assumpsisse putent [2]); quod et a Livio et ab aliis traditum ipse supra protulerat [3]). Qua re eum ex alio auctore illum errorem hic correxisse liquet. Qui quis fuerit, nescire me fateor.

Ecce res ab initio belli civilis inter Caesarem et Pompeium orti usque ad triumviratum ab Octaviano, Antonio, Lepido initum gestas, quas in disceptationem vocare mihi proposueram. Quibus disputatis si id consecutus fuerim, ut, quantum Liviani operis apud Cassium Dionem servatum sit, docuerim, pro meis viribus et huius institutae scriptionis consilio satisfecisse et suscepti laboris operam non perdidisse mihi videbor.

1) Obseq. 70.
2) Dio 46, 47.
3) Dio 45, 5. Liv. 117.

Digitized by Google

VITA.

Natus sum Guilelmus Heimbach Mielensi in vico regionis Coloniensis anno h. s. LV d. XXVII m. Iulii patre Ioanne Heimbach, matre Gertrude de gente Niessen, quos superstites summo amore veneror. Fidei addictus sum catholicae. Litterarum elementa didici in vico patrio, unde XIII annos natus progymnasii Rhenobacensis discipulis adscriptus sum. Deinde gymnasii Monasterii Eifliensis praeceptoribus traditus autumno anni h. s. LXXIV maturitatis testimonio instructus sum. Historiae et philologiae operam daturus Bonnensem litterarum universitatem adii ibique inter cives academicos receptus per septies senos menses continuo versatus sum. Docuerunt me in alma hac sede litterarum Rhenana Buecheler, Bernays, Birlinger, Meyer, Neuhaeuser, Ritter, Schaefer, de Sybel, Simrock, Vsener. Vt in seminarium historicum reciperer eiusque per quater senos menses essem sodalis ordinarius, Schaeferi et Ritteri insigni in me benevolentia factum est. Quibus praeceptoribus omnibus ago gratias quam maximas, praecipue autem Schaefero, qui summa comitate studiis meis favit et me hanc de Cassio Dione quaestionem instituentem incitavit, adiuvit, auxit.

Digitized by Google

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

I. Cassius Dio 45, 13, 3 Dindorf scripsit: *καὶ τό γε Ἄρειον τὸ τέταρτον στρατόπεδον ὠνομασμένον ὅλον αὐτῷ προσεχώρησεν.* lego *καὶ τό γε Ἄρειον καὶ τὸ τέταρτον στρατόπεδον κ. τ. λ.*

II. Florus II, 13 (Iahn) „repente legatus eius Octavius Libo ingentibus copiis utrumque circumvenit" duorum legatorum nomina „Octavi et Libonis" in unum „Octavium Libonem" confudit.

III. Suetonium historiam belli civilis Caesariani conscripsisse minime constat; quod ut probet, quae fragmenta Reifferscheid quaest. Sueton. p. 469 affert, e Suetoni „pratis" fluxisse verisimile est.

IV. Nicolaus Damascenus in Augusti vita describenda (*βίος Καίσ.*) ipsius imperatoris commentariis usus est.

V. Kiesslingi (musei Rhenani 1868 tom. XXIII p. 672) sententiam „Nicolaum Damascenum Dionysi Halicarnassei antiquitates consuluisse" non probo.

VI. Regionis continuationis auctorem fuisse monachum Adalbertum, qui anno 968 archiepiscopus Magdeburgensis factus est, verisimile est.

VII. Paschalis II papa in rixis de inaugurandi iure inter eum et Angliae regem ortis inconstantem et in Anselmum Canturiae archiepiscopum perfidum se gessisse censendus est.

VIII. Linguam Graecam e gymnasiis removere rerum gestarum studio magnopere noceret.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

YC 00253

U. C. BERKELEY LIBRARIES

C056691611

270040

Heimbach

UNIVERSITY OF CALIFORNIA LIBRARY

Digitized by Google